

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-267058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-267058)

26. Quanam autem factum sit, ut Brisgoviam postea totam sibi jure deberi assererent Austriaci, pernegarent Badenses, et in supremo Dicasterio Imperij, quod Spira est, lis ea de re ageretur, etiamnum indeciso, non habeo, quod dicam, quia acta non vidi. Divisum interim retinent Brisiacensis agri imperium, et pars Austriaco, pars Badensi parat, avulso tamen Brisiaco, et in Tertij potestatem redacto.

Cap. IV.

Zeringij ex Habsburgiis.

Aventinus Annal. Boicorum L. 5. ex Ernesto Suevia Duce vel Gisala ꝑ. quam Viduam Conradus II. Imp. duxit; Zeringio Duces produisse vult, sed fundamento nullo.

Naucelerus Chronogr. volum. 2. generatione 38. narrat Friderici I. tempore fuisse virum nobilem Bertholdum de Zeringen, in cujus villa forte divertens ex itinere Imperator, et pernoctans laute habitus est, ideoque eum in Ducem et Principem sublimavit.

Latius Bertholdum Zeringio Creditorem Eberhardi illius filium facit, qui Ottoni I. rebellis praelio victus et Obeno submersus interierit, toto saeculo ꝑ. ne dicam celo ꝑ. errans, ut mox patebit.

Saniora Guillimannus lib. 4. Habsburgiaci circa Sinem, ubi de Landolo juniore seu Lancelino, quem alij Bezelinum vocant, Habsburgio agit. Reliquit hic moriens, inquit, ex Agnete Burgunda, Ruffensium, ut quidam volunt, Comitū stirpe oriunda, Bertholdum

27.
filium; Is est Bertholdus, cum barbato faciunt
cognomen, qui primus arcem Zeringam prope
vicum cognominem condidit in Brisacia, qua illi et
posteris in partem ex Altenburgensium Comitum here-
ditate avita cepit; et inde Zeringensem Comitem se-
primum nominavit, Zeringensium famam et poten-
tiam Princeps fundavit et evexit.

Presporcius similiter Landoli II. seu Bezelini Comitis
Brisiaca, qua illi in divisione cum fratribus Rapolone
et Rudolpho obtigerat, filium unicum his verbis me-
morat: Bertholdus cogn. barbatus Brisacia et Zerin-
gia, quam arcem prope vicum cognominem in Brisia-
ca condidit, Comes &c.

Henniges ex Sumpis et aliis Stematographis
Genealogiam Zeringensium conficit, et ab Habsburgis
quoque eorum genus derivat, sed per errorem Berchtol-
di I. patrem Gebritzonem constituens, qui patruus
fuit. Bertholdus I. barbatus, inquit, Comes Brisgo-
via, divitiis, potentia clarus, in Breuconis Augia
sive Briscovia a comite Kyburgensi arcem im-
petravit, in qua arcem Zeringam condidit, reliquos
majorum suorum Comitum Habsburgi gentilitio
cognomen, Zeringia Comitem ac Dominum se dein-
ceps sumpsit circa an. C. 1058.

Münsterus intra Habsburgiam quidem Stirpen
manet, et Bertholdum I. Bezelini filium agnoscit,
sed absque prole decepsisse, Zeringiaque Principatum
ad nepotem ex fratre Birchtione, qui et ipse no-
men Bertholdi habuerit, transmisisse vult, in quo et
hic et Gebvillerius fallitur.

28. Menlius post memoratum Bezelinum Comitem
Habsburgium subdit: Berchtoldus mit dem Land,
wofür der Hertzog zu Carinthien, Inſt garmaltan Be-
zelini Doſu ſon Habsburg &c.

Vignierus Gallus de iſdem ſuo idiomate ſic ſcri-
bit: Bezelin Comte de Briſgau &c. Bertholdi I. de
Zerlingen, Duc de Carinthie et de Neckeraw de par
ſa femme et Briſgau de ſon chef. &c.

Annales Monasterij S. Petri, quibus hac in re plu-
rimum tribuendum puto, ſic loquuntur: Bezelinus
Comes fundavit cum fratre Gebizone Clauſtrum Mo-
nialium dictum in Sulzberg a monte Salsedinis,
qui in eodem Monasterio ſepulti ſunt. Huius Beze-
lini filius Bertholdus cum barba, nominis huius pri-
mus, primus Ducatum Suevia, dein Carinthia Prin-
cipatum ſuſcepit, cui filius ejus Bertholdus huius
nominis ſecundus, ſuperius memoratus, dignus patre
haeres in Ducatu ſuceſſit. &c.

Gabriel Bucelinus ex D. Benedicti ſacraſſimo
Ordine Aſſecta Weingartensis de nobilitate germanica
et Regum ac Principum Familiis vit optime meritus,
in genealogica Germania notitia p. 51. de Badensi
Domo loquens: Huius, inquit, eſſi nonnulli Originem
ad Veronenſes Italia Principes referre conati ſunt,
neſcio quo adulationis ſtudio Principes demereri
ſibi viſi, cum ignorantiam ipſi proderent ſuam,
certiſſimum tamen eruditiſſimus Guillimany nobis
reddidit, Hermannum illum, qui Veronenſis Principis
titulo uſus eſt, rectiſſima linea ex Zerlingia Ducibus

adeoq; Habsburgi Comitibus exortum esse. Genea- 29.
logiam paulo post subnectit huius author, eique hunc
præfigit: Zeringensium atque Badensium ex Habs-
burgi Comitibus probatissima Deductio.

Non deest ex antiquis Chronographis, qui Habsbur-
gam et Zeringensem unum idemq; esse putavit, ac
Radbotino etiam linea Habsburgios Zeringios appellet;
in Chronico Dominicanorum Colmarensium, scripto
circa an. C. 300. et per Urstisium vulgato de Rudolpho
Habsburgio Rege Rom. hæc leguntur: Ad an. 1299.
octava Epiphania venit Columbariam Alsatia. Advoca-
tissa cum pluribus Dominabus, et Dominus Joannes
de Lichtenberg, Advocatus Regis Rom. super Terram
Alsatia, filius Sororis Rudolphi de Habsberg, Romanorum
Regis de Stirpe Ducum Zeringia. Item: Ad an. 1218.
natus est autem Rudolphus de progenie Ducis Zerin-
gia an. 1218. eodem scilicet anno, quo Dux Zeringia
de Bertholdo V. et ultimo loquitur: /viam carnis in-
greditur universa. Hinc saltem liquet, ab annis ab-
hinc ferme 400 nullum fuisse Dubium de consanguini-
tate proxima Zeringiorum cum Habsburgiis.

Porro, quod hic notat Chronographus, exortum Ru-
dolphi et Bertholdi occasum in idem tempus inci-
dise, etiam solerter observavit Guillim. L. 6. c. 2.
sic scribens: paucis diebus post Bertholdi V. obitum
Kalendis scilicet Maij ejusdem anni, hæud absq; divina
providentia manifesto favore, et consilio, natus est
Rudolphus ille, qui non solum Zeringensium ami-
corum et Consanguineorum famam et gloriam re-
paravit, sed Habsburgensium Comitum gentem ad

30. *supremum dignitatis et potentia in terris fastigium
evexit, reservantibus ipsi Imperij Rom. Majestatem
Supremis, quem Berchtoldo ostenderant magis, quam
innumerant: nimirum cum oblata illi aliquando
corona tum a Pontifice, tum ab Electoribus fuit, sed
ob ipsiusmet tergiversationem non imposta, ut suo
loco memorabimus.*

Cap. V.

*Habsburgi Comites Principum tum Au-
striacorum, tum Badensium progenitores,
non aliunde, quam ex Alsatis
Ducibus.*

*Hic inter Scriptores rerum Habsburgo-Austriaca-
rum bella et Collisiones, non quidem armorum, sed cala-
morum, sunt, qui velint, a Patricio Romano, montis
Aventini Comite, Petri Leonis filio ab Italia pulso
et apud Helvetos exulante, Castrum adificatum
eique nomen Aventiburgi impositum; quod deinde
oborto vocabulo Aberburgum dictum sit. Inde hanc
et ab Helvetis, aspirationum amantibus, Habsbur-
gum dictum sit. Inde horum Comitum Originem
enumerat Bueclinius tres supra triginta hujus opinio-
nis Sectatores, atq; restare adhuc alios, qui tamen
de tempore, qua haec gesta sint, discordant, alij an-
salutis 1155. alij 1170. designantes, non absque in-
signi nominis dudum ante tum ludis equestribus,
tum feriis cum hoste congressibus, et magnis rebus
gestis celebratissimi, injuria; qua in re etiam
Guillimanni obstinata persuasio videtur aliis,*